



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 18. [i. e. Cap. 19.] Locus Virgilij aliter, quàm à Seruio & Macrobio
expositus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

rem innuere. aquarum, aëris, armorum, regionis: harum rerum symbola esse, ranam, auem, sagittam, atrium. At Xiphodres longè alio modo interpretatur. Nos vèrò, inquit, quantum hæc symbola ostendant, nisi aut terram subeamus, ut mures: aut aquam, vitæ: aut euolemus, vitæ: non effugiemus ipsorum tela. neque enim terræ, quam ipsi arant, dominum sumus. Hoc Pherecydem Syrium narrare, ait Clemens Alexandrinus. Herodotus autem in Melpomene hanc ipsam historiam aliquanto aliter narrat.

*Locus Virgilij aliter, quàm à Seruio & Macrobio
expositus. CAP. XVIII.*

EXCESSERE omnes, adytis, arisq; relictis,
Di, quibus imperium hoc steterat.

Hos versus, qui ab Ænea in secundo Æneidos proferruntur, Seruius, & post eum Macrobius referendos censuerunt ad veterem quandam Romanorum consuetudinem, qui cum obiderent urbem hostium, eamque iam capi posse confiderent, certo carmine euocarent tutelares illius deos: quod aut aliter urbem capi posse non crederent: aut, etiam si posset, nefas existimarent, deos habere captiuos. Ego autem, cum illi qui hanc opinionem sequuntur, non sanè contenderim. nam & ratione satis probabili nixa est, & à bonis auctoribus profecta. neque non tamen hanc veriorum & simpliciorum puto: ea nocte, qua capta est Troia, visos esse deos Æneæ, exeuntes è templis, & simulacra sua asportantes. Solitas certè à diis suis deferri eas ciuitates, quæ mox in hostium potestatem venturæ essent, aut saltem eam fuisse veterum opinionem, ostendit Æschylus, apud quem Eteocles offensus superstitione mulie-

mulierum, quæ vagantes per templa, in tanto ciuitatis periculo, implebant omnia clamoribus, iubet eas id modò optare ac precari, vt turris ciues ab armis hostium protegat. quem cum illæ interrogassent, vnde nam id, nisi à diis, futurum putaret: respondens ille, quasi que illudens, ait vulgò dici solitum, excedere deos, cum vrbs aliqua capitur. Versus hi sunt è fabula, quæ inscribitur ἐπὶ τὰ ὄππὶ Θήβαις.

Ετ. Πύργον σέγειν εὐχεθε πολέμιων δόρυ.

Χο. Οὐκᾶν τὰδ' ἔσαι πρὸς θεῶν; Ετ. ἀλλ' ἔ θεός

Τὸς ἴ ἀλώσις πόλεως ἐκλείπειν λόγῳ;

quem in locum Scholiastes ait, id contigisse Troianis. λέγει γὰρ, inquit, ὅτι ὅταν ἐμελλε περιθῆναι ἡ Τροία, ἐφάνησαν οἱ θεοὶ πῶς Τρωσὶν ἀναλόμενοι ἐκ τῶν ναῶν τὰ ἀγάλματα αὐτῶν. Æneæ autem, propter singularem ipsius pietatem, eos potius, quàm cuiquam alij, apparuisse, credibile est. Sic Tyrionum multis, cum Tyrum Alexander Philippi filius obsideret, visus est in somnis Apollo dicere, se ad Alexandrum abire: non enim sibi placere quæ in ciuitate fierent, neque ita multo post capta est Tyrus.

Illustratus Platonis locus ex Alcibiade primo.

CAPVT XX.

VRBANO & eleganti artificio vsus est Socrates ad reprimendum Alcibiadis fastum, in eo dialogo qui inscribitur Alcibiades primus. nam cum sibi persuaderet adolescens ille, (quod eius ætatis esse ingenium solet) abundè iam instructum esse se iis omnibus rebus, quæ ad administrandam remp. pertinerent, blandè aggressus hominem Socrates, paulatim interrogando eò perduxit, vt ex ipsius responsionibus

I 2

apertè